

no 1047. III. Non. Sept. datum producit, quod *Hartwicus Cancellarius vice Bardonis Archiepiscopi et Archicancellarii* recognovit. Gewoldus vero in Additionibus ad Hundii Episcopos Brixinenses ejusdem Imperatoris Præceptum pro Ecclesia Brixinensi emissum edidit, quod die VIII. Kal. Febr. anno 1048. datum *Wintherus Cancellarius vice Bardonis Archicancellarii* recognovit. Idem Gewoldus Tomo II. pag. 18. Diploma pro Altaichio inferiori expeditum et die VI. Idus Aprilis eodem anno a Winthero recognitum publicavit. Ex aliis pluribus Diplomatum a Gewoldo, Zyllesio, Schatenio, Leuckfeldio, Martene et Durando, Meichelbeckio aliisque evulgatis certissime evincitur, Wintherum usque ad obitum Henrici III. Imperatoris atque etiam sub initium Henrici IV. Regis Cancellarii munere functum esse. *Opezo* sive *Opizo Cancellarius Italicus* in Præcepto Henrici III. Imp. anno 1052. dato et ab Ughello It. sacrae Tomo V. pag. 685. edito occurrit, quo Imperator *interventu dilectæ contectalis suæ Agnetis Imperatricis et Opizonis Cancellarii sui* Monasterium S. Georgii in suburbio civitatis Veronæ in tutelam et mundiburdium suum recipit. *Opizo Cancellarius vice Herimanni Episcopi et Archicancellarii* illud recognovit. Qui sequitur *Bernhardus*, hujus nominis secundus *Dux Saxonie* factus est anno 1011. et obiit anno 1059. testibus Annalista Saxone, Annalibusque Hildeshemensibus. *Uto Comes* Stadenfis erat, quem anno 1056. Marchionem Saxonie Septentrionalis constitutum esse, et anno 1082. decessisse Annalista Saxo annotat. *Dieterich* vel *Theodoricus Comes* forte Catlenburgenfis fuit. *Otto* erat *Comes Wimariensis*, ut Annalista Saxo ad annum 1046. indicat. *Eberhardus* et *Fridericus* ubi *Comites* fuerint, nondum satis liquet. *Sigeboto* vero et *Gozsvin Comites*, *Boppo* et *Uto* ex ipsis Fuldensibus monumentis sibi constant. Schannati Traditioni DCVI. anno 1048. XV. Kal. Januarii datae testes annotati sunt *Bertolt Comes*, *Hecil Comes*, *Gerhart Comes*, *Sigiboto Comes*, *Uto*, *Poppo*, *Manegolt*. Traditione DCVII. Roho quidam anno 1049. mense Septembri dat prædium, quod habuit in Heliungero marca in Comitatu *Ottonis et Gozsvini*. Traditionis DCIX. anno 1057. factæ testes sunt *Gerhardus Advocatus Fuldensis*, *Sigebodo Comes*, *Dammo Comes*, *Gozsvin Comes*, *Bobbo* et *Gotebold*. Traditioni DCXIII. anno 1061. scriptæ iterum testes affuere *Uto Comes*, *Gerhart Comes*, *Tammo Comes*, *Ramvolt Comes*, *Gozsvin Comes*. Ex his *Gozsvinus Comes*, teste Necrologio Fuldensi, anno 1051. obiit, et *Gozsvinus*, qui post hunc annum occurrit, ejus sine dubio filius fuit. Idem Necrologium *Sigebodonis Comitis* mortem sub anno 1062. memorat. Omnibus itaque personis, qui testes Diplomati Henrici III. Imp. adfuerunt, recte anno 1049. convenientibus et in aliis monumentis fide dignis eodem tempore occurrentibus, cogor ego Diploma hoc pro genuino declarare. Declarasset idem etiam judex pro tali, si causæ patrono licuisset a nobis prolata ei exponere. Sed scripta, unde nostra depromsimus, tunc nondum in lucem edita erant. Vitium in anno Incarnationis a scriba commissum rei veritati et chartæ auctoritati non obfuisse. Si tamen idem vitium in autographo aliquo extitisset, ego ipse contra illud pronunciaissem, aut certe de authentia ejusdem valde dubitaissim.

**XXXIII.** Lustrata Diœcesi, quam Cl. Schannatus vocat Fuldensem, *Hierarchia* etiam paulisper consideranda superest, ubi nobis primo loco sistitur *Templum Fuldense primarium* seu *Basilica S. Salvatoris et omnium Sanctorum*, quam anno 819. Indictione XII. (Indictio tamen XIII. Dedicatio  
Templi  
primarii  
Monasterii  
Fuldensis.

R

repo-